

dam diplomate de an. 1008. Ecclesiae S. Stephani Maguntiae dato, sequentibus verbis nominat: *in curte seu loco Thielleichi in Pago Phirnigovv, in Comitatu Friderici Comitis.* In *Chron. Eccles. S. Stephani* apud D. Joannis Tom. II. *Rer. Mogunt.* p. 517. qui ibidem p. 544. observat, hunc Pagum in confiniis *Hassiae* situm fuisse debere, cum alibi de loco *Thielleichi* dicatur: quod *miles de Wedilberg, & Ministerialis de Dalvwig* habeant *curtem & advocatiam in Dyeliche.* Locus autem *Thielleichi* seu *Dyeliche* est hodierna villa *Dillich* seu *Tilch* in Comitatu *Ziegenhaynensi* in praefectura *Hassiac* *Borcken*, in qua villa nobiles equites *de Dalvwich* etiamnum habitant, teste *Winkelmanno* in *descript. Hassiae* p. 252. Ex quo satis probabiliter concluditur, Pagum *Phirnigovve* in Comitatu *Ziegenhaynensi* in *Hassia inferiore* inter urbem & arcem *Ziegenhainam*, & oppidum *Borcken* ad fluv. *Schvvalmanaham* situm fuisse.

Rhenensis, Rinensis, Renicgovve, Ringovve, Rhinichgovve, Rinicgovve, Hrinahgeuue, Rinecgouue, Rhinagevve, Rigorinse.

Pagus Ducatus *Franciae novae* ad dextram *Rheni* a fluv. *Neccaro* usque ad fluv. *Mœnum*, *sylvam Ottonis*, vulgo *Odenvald*,  
inter